

eiusmodi experimentis extrui possunt regule infallibiles, & Medico maximè utiles, maximeq; ad infinita alia subiecta necessaria, quæ Medici Puritani contemnunt; quia, cognitio nis rerum naturalium turpiter ignari, sibi tantum debere esse commercii cum Chymia, quantum cum amaraco sui, existimant.

EXTRACTUM CORNU CERVINI.

Recip. spiritus vini, spir. vitrioli, ana partes æquales.

Misce: & affunde rasuræ cornu cervini: ut tinctura extrahatur. Crassamentum nigrum abjice: & tincturam extractam filtra, rursusque menstrui exhalatione coagula.

Ufus. Diaphoreticum est insignis, in febribus malignis, omnibusque aliis morbis, in quibus cornu cervino locus.

EXTRACTUM sive BALSAMUM ALOETICUM.

Recip. Aloës succotrinæ q. p. Pulverisatam solve, in aqua borraginis & rosarum. Coletur per pannum duplum mundum. Stet in digestionem dies tres. Purum effundatur. Effusum rursus digeratur: dum feces plures subsidant. Purum clarumque rursus funde, & colloca in B. M. Aquositate abstrahere, usque ad spissitudinem. Impone forna-